# Sujets des Conférences Ecclésiastiques du Diocèse de Québec, pour l'année 1858.

### CONFÉRENCE DU MOIS DE JANVIER.

Thomas confitens peccata sua Eusebio parocho suo adhuc juveni, ipse declaravit se, à longo tempore vendere vinum atque alios liquores inebriantes sine licentia. Parochus statim dixit se non posse eum absolvere quamdiù id ageret. At ille respondit Antonium, antecessorem ejus in parochia, presbyterum ætate, scientia ac pietate venerabilem, nunquam sibi negasse absolutionem ea de causa; nec quidem id sibi tanquam peccatum exprobravisse.

Indè Eusebius anxius quærit:

1o. *Annon lex quæ prohibet venditionem liquorum inebriantium sine licentia, obliget sub peccato?*

2o. *An benè se gesserit negando absolutionem Thomæ in casu?*

3o. *Tandem annon teneatur Thomas ad aliquam restitutionem erga fiscum, ratione taxationis quam percipiendi jus habet ex venditione liquorum inebriantium?*

### QUESTION SECONDAIRE.

Parochus S. F. ornamenta ecclesiæ suæ reparare et reficere volens, vetera pluvialia in planetas, stolas in manipulos, albas in amictus et purificatoria et cætera hujusmodi convertit: curavit etiam ut uni ex duobus calicibus suis qui pedem æneum habebat; pes argenteus poneretur, atque alterius cuppa de novo inauraretur.

Nunc autem quærit:

1o. *Quænam ornamenta et linteamina ecclesiæ indigeant benedictione?*

2o. *Qua ratione ornamenta, linteamina et vasa sacra benedictionem amittant?*

3o. *An ornamenta et linteamina, modo supradicto confecta ex veteribus jam benedictis, nova benedictione, atque calices sic reparati consecratione nova indigeant?*

CONFÉRENCE DU MOIS DE MAI.

Sulpicius attulit Bonifacio confessario suo mille nummos clam restituendos cuidam mercatori diviti, a quo, decem circiter ante annis, eos furatus fuerat. Hic autem, non ignorans hanc pecuniam sibi surreptam fuisse a longo tempore, etsi nesciret furem, exigit ut etiam fenus hujus pecuniæ sibi restituatur.

Quærit ergo Bonifacius *an Sulpicius teneatur ad solvendum hoc fenus?*

QUESTION SECONDAIRE.

Quidam parochus dubitans an puer in mortis articulo constitutus ad rationis usum pervenerit noluit illum sacro oleo ungere.

Quæritur *an bene se gesserit?*

CONFÉRENCE DU MOIS D'AOUT.

Jacobus, profectus è parochia S. C. matrimonium contraxit, coram duobus testibus cùm Lucilla in *Township* B. ubi ambo habitant jam à duobus annis, nec ulla adhuc exstat capella. Paulo post, orta inter eos gravi dissensione, Jacobus uxorem dimittit, ac, post elapsum annum, adit parochum S. C., qui etiam est missionarius dicti *Township* B.; et petit ut se matrimonio jungat cum Genovefa, affirmans matrimonium suum cum Lucilla, utpotè absque praesentia pastoris sui contractum, esse nullum, ac propterea se nolle ultra habitare cum illa.

Nunc autem parochus dubitans quærit:

1o. *Quinam teneantur decreto* TAMETSI *S. Concilii Tridentini?*

2o. *An matrimonium Jacobi cum Lucilla validum sit necne?*

QUESTION SECONDAIRE.

Irenæus rogatus a parocho S. M. audivit confessiones in ejus parochia, ubi bona fide credebat se habere facultatem necessariam. At postea animadvertit quod hujusmodi potestatem non habebat. Unde anxius quærit: *An attentâ bona fide sua ac pœnitentiam quos audivit in confessione, validæ fuerint absolutiones quas dedit?*

CONFÉRENCE DU MOIS D'OCTOBRE.

Priscus consanguineam suam cognovit carnaliter longè antequam duceret eam in matrimonium; nec incestum suum Episcopo, cùm ab eo petivit ac obtinuit dispensationem, manifestavit, non ex malitia quidem, sed ex ignorantia juris, et quia ea de re non fuit interrogatus.

Attamen Joannes, parochus ejus, putat matrimonium ejus, bona fide contractum, validum esse.

Quæritur ergo:

1o. *An necessario exprimenda sit copula incestuosa in petitione dispensationis?*

2o. *An opinio Joannis de validitate matrimonii prædicti sustineri possit?*

QUESTION SECONDAIRE.

Parochus S. C., quum mortuos sepelit in cœmeterio suo benedicto, non incensat corpus nec tumulum, sed aspergit tantum corpus aqua benedicta.

Quæritur *an in hoc se gerat juxta Rubricam Ritualis?*